Hintz, Benjamin Ludovicus
Halle a/d. S.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA
DE
FAME

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS
ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. ANDREA ELIA BVCHNERO
SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,
PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS,
D. XXIV. DEC. A. S. R. CIϽIϽCCLI.
IN REGIA FRIDERICIANA
PVBLICE DEFENDET
AVCTOR
BENIAMIN LVDOVICVS HINTZ
GEDANENSIS.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI HENDELII, ACAD. TYPOGR.

VIRO

PRAENOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO

ATQVE DOCTISSIMO

DOMINO

IOANNI IACOBO KNAPIO

MEDICINAE DOCTORI CELEBERRIMO

ET

PRACTICO APVD GEDANENSES FELICISSIMO

VITRICO SVO

OMNI PIETATIS ET OBSERVANTIAE CVLTV AD CINERES VSQVE DEVENERANDO,

DISSERTATIONEM HANCCE INAVGVRALE

SANCTISSIMI SVI OBSEQVII

AC

PERPETVAE VENERATIONIS

NVNTIAM ATQVE INTERPRETEM

CVM ADPRECATIONE DEVOTISSIMA

SANITATIS INCORRVPTAE

IN SEROS VSQVE ANNOS DVRATVRAE

ET PROSPERRIMORVM AC LAETISSIMORVM

SEMPER SVCCESSVVM

DAT DICAT DEDICAT

BENIAMIN LVDOVICVS HINTZ.

incorrectly bound pages 5-8 at end of volume.

atque in membrana, nervis carente, contentum (per experient. anatom.): ergo aut ventriculus ſolus, aut inteſtina ſola, aut ventriculus una cum inteſtinis, ſubiectum huius perceptionis nobis ſuppeditabunt.

§. IX.

Ventriculus eſt viſcus membranaceum, nervis praeditum, & maiori nervorum gaudet copia prae reliquis fere omnibus viſceribus, locum hunc (§. VIII.) obtinentibus (per exper. anatom.). Quatenus igitur nervis gaudet, eatenus pro ſubiecto perceptionis cuiusdam haberi debet; quatenus vero maiori nervorum copia inſtructus eſt, eatenus quoque aliam perceptionem inducere valebit, quam reliqua corpora (§. VI.). Ergo ex hoc fundamento probabiliter iam concludere poſſum, ventriculum eſſe ſubiectum famis. Dico probabiliter, quia inteſtinorum mentionem nondum feci. Si vero ad id attendemus, quod fames poſt aſſumtionem ciborum ſtatim ceſſet, cum certitudine affirmare licebit, ventriculum eſſe famis ſubiectum. Per ciborum enim aſſumtionem nihil aliud fit, quam quod cibi, ventriculum intrantes, agendo in ipſum, ſtatum eius praeſentem mutent, quam mutationem cum contraria ſequatur perceptio, ſcilicet ceſſatio famis (per experient.), hinc ita concludo: Cum in regione ventriculi percipiatur fames (§. I.), in hac vero ventriculus probabiliter ſubiectum famis eſſe poſſit (per antecedentia huius §.), & ventriculo mutato oriatur contraria perceptio, ſequitur, ut in priori ventriculi ſtatu fundamentum prioris perceptionis

quaerendum sit, i. e. ut ventriculus sit subiectum famis.

§. X.

Quamquam itaque extra omne dubium positum sit, ventriculum esse verum subiectum famis (§. IX.), non tamen pro unico idcirco eundem haberi debere, sequens exigit ratio. Observamus enim in hominibus, per longa intervalla famem sustinentibus, tunc temporis borborygmos, contractiones, atque hinc dependentes intestinorum motus, qui saepius eo usque augescunt, ut etiam ab extra manuum impositione percipi queant, quique brevi post assumtionem ciborum evanescunt. Cum itaque intestina tempore famis tantas mutationes patiantur, cum sint corpora eiusdem texturae cum ventriculo, nervisque quam plurimis praedita, ac in eadem regione haereant (per princip. anatom.), non absonum mihi videtur, ventriculum una cum intestinis pro vero famis subiecto statuere; quamquam negare non possim, plerumque intestina huius subiectum per consensum tantum fieri.

§. XI.

Omnis perceptio in corpore nostro fiens praesupponit agens, & corpus, sive subiectum, in quod agitur, nervis praeditum (§. V. & VI.). Detecto itaque vero famis subiecto (§. IX. & X.), ut de agente, i. e. de *causa* huius perceptionis solliciti simus, ratio instituti nostri postulat. Ut vero eo melius id nobis succedat, opus erit, phaenomena ea hic antea

recen-

recenſere, quae utplurimum circa famem obſervari ſolent.

§. XII.

Docet vero experientia, famem in hominibus ſanis oriri,

1) quando aſſumtio ciborum ultra conſuetum tempus differtur; vel
2) quando actiones inſolitas, cum magno corporis exercitio connexas, inſtituimus, uti in illis e. gr. accidere ſolet, qui corpus ambulatione aut laboribus praeter conſuetudinem exercent; in his enim fames ante conſuetum tempus iam oriri ſolet.
3) Sponte ſaepius fames ceſſat, ſi aliquamdiu duraverit, licet nihil ciborum fuerit aſſumtum; redit vero, fabulamque hanc bis vel ter ludit.
4) Maior plerumque deprehenditur in hominibus laborioſis, quam otioſis, aut vitae ſedentariae addictis.
5) Frequentius quoque recurrere ſolet in infantibus ac pueris, quam in adultis.
6) Magis etiam eos vexare communiter ſolet, qui parum bibunt, quam copioſiora potulenta ingurgitantes; hi enim ſaepius nullam, vel admodum exiguam percipiunt famem.
7) Hyeme fames maiori gradu ordinarie affligit, quam aeſtate.
8) Acida aſſumta famem praeſentem augere ſolent.

§. XIII.

Nec inutile erit, ea hic afferre, quae in ipſo

homine, durante fame, obſervari ſolent. Habent enim

1) in regione ventriculi perceptionem ingratam, quae pro ratione durationis magis magisque ad dolorem accedit, ita quidem, ut verus tandem oriatur dolor.

2) Continuante fame audiuntur borborygmi, atque inteſtina contrahuntur, unde motus eorum, qui ab extra etiam percipi poſſunt, originem ſuam ducunt.

3) Abdomen in minus coarctatur ſpatium, praeſertim in regione ventriculi.

4) In quibusdam pallor faciei, frigus extremorum atque proſtratio virium, ad ecclyſin fere accedens, obſervantur; quae tamen omnia in homine ceteroquin ſano brevi poſt ciborum aſſumtionem ceſſare ſolent.

§. XIV.

Decens fluidorum noſtrorum quantitas dependet a decenti aſſumtorum quantitate; deficiente hac, deficit illa. Secretiones enim & excretiones in corpore noſtro nunquam ceſſant, licet imminuantur pro quantitate fluidi ſecernendi, ita quidem, ut quo minor fuerit illa quantitas, eo minor quoque ſit ſecretio & excretio. Si igitur ciborum asſumtio omittitur, neceſſe erit, ut, ob continuatas has ſecretiones atque excretiones, ſequatur

1) quantitatis fluidorum, atque hinc capacitatis omnium vaſorum, imminutio. Vaſa enim noſtra

ſtra gaudent conatu, tam ex vitali, quam phyſico robore ſeſe contrahendi, & actu ſeſe contrahunt, ſublata reſiſtentia (per experient.).

2) Ut fluida, per iſta vaſa coarctata (n. 1.), tardius moveantur (per princ. hydroſtat.).

3) Ut viſciditas fluidorum augeatur. Viſciditas enim humorum noſtrorum dependet a defectu partium fluidarum ſubtiliorum,qui defectus inde oritur, quia ſubtiliores ſemper ex maſſa ſanguinea excernuntur.

4) Ut ſalia, per circulationem ſanguinis liberata, retineantur. Adhaerent enim tunc fluido magis viſcido (n. 3.); ergo non una cum ſubtilioribus educi poſſunt. Hinc

5) acrimonia fluidorum ut augeatur, & actio in fibras maior evadat.

§. XV.

Cum itaque hae mutationes, ex aſſumtione ciborum omiſſa, toti maſſae ſanguineae ac omnibus corporis noſtri vaſis inducantur (§. XIV.), ut etiam ad ventriculum applicatio valeat, ratio iubet. Ventriculus enim gaudet vaſis atque glandulis fluidum vehentibus, ex quibus tam fluida ſecernuntur, quam excernuntur, quae fluida, in cavum ventriculi excreta, nomine *menſtrui ventriculi* venire ſolent. Ergo & haec vaſa ex omiſſa aſſumtione ciborum anguſtantur (§. XIV. n. 1.), fluidorum tranſitus per haec vaſa retardatur (§. XIV. n. 2.), quae retardatio per viſciditatem inductam (§. XIV. n. 3.) augetur; hinc oritur ſtagnatio fluidorum in vaſculis glanduloſis

ventriculi, quam stagnationem sequitur extensio vasorum, in quibus fluidum hocce stagnat. Motus enim cordis & arteriarum, etsi cibi per aliquod tempus omittantur, non cessat, quamquam diversus sit ab eo, dum cibi assumuntur; ergo ea pars impetus, quae ante stasin in fluidum tantum vergebat, iam fere tota in parietes vasorum exercetur. Hinc actio in parietes vasorum maior, indeque expansio. Expansio vero vasorum fieri nequit sine extensione partium cum his connexarum, vel adiacentium; ergo etiam nervi tenduntur; hinc in ventriculo adest causa perceptionis, quam perceptionis causam augent fluida stagnantia ipsa, quatenus sunt acria (§. XIV. n. 4.), & quatenus eorum actio in fibras inde maior evadit (§. XIV. n. 5.). Cum vero fluidum, in ventriculi vasis secernendum, differat a fluidis in reliquis corporis vasis contentis, & ventriculus maiori gaudeat nervorum copia, ut etiam alia perceptio in ventriculo, quam in reliquis corporis partibus, quae *fames* audit, oriatur, necesse est (§. VI. & Physiolog. medic. Illustr. HAMBERGERI §. DCCCLXIV.).

§. XVI.

Dixi §. X. *intestina* quoque haberi debere pro subiecto famis. Scio equidem, mutationes intestinorum ibidem adductas per merum consensum fieri posse; cum vero intestina etiam sint corpora, magna nervorum copia praedita, & cum in ipsis pariter secernatur liquor menstruo ventriculi non plane dissimilis; hinc etiam per stagnationem talis liquoris

ris ſimilem perceptionem in inteſtinis produci poſſe, rationi conſentaneum eſt.

§. XVII.

Speciem argumenti, contra cauſam famis adductam, habet, ſi nonnulli affirmant, dictam cauſam (§. XV.) valere de omnibus noſtris glandulis, ſicque neceſſario ſequi, famem percipi poſſe in omnibus corporis noſtri glandulis. Sed cum de reliquis corporis noſtri glandulis non idem affirmare liceat, quod probavimus de ventriculo & inteſtinis (§. XV. & XVI.), facile patebit, adductam cauſam applicari non poſſe ad omnes corporis noſtri glandulas.

§. XVIII.

Nec ignoro, aliis aliam placere huius perceptionis cauſam. Nonnulli enim cauſam quaerunt in menſtruo ventriculi, dicuntque, quod, cum omnes humores noſtri corporis per omiſſionem ciborum acriores reddantur, neceſſario hinc etiam menſtruum ventriculi acrius evaderet; hinc concludunt, eius actionem in ventriculum fieri maiorem, irritari inde fibras ventriculi, & ſic illud cauſam evadere famis. Alii hancce cauſam ponunt in ſola ventriculi contractione, ſub qua parietes eiusdem ad ſe invicem proxime accedere, ob motum periſtalticum leniter ſe invicem atterere, & ſic irritationem famisque perceptionem producere putant. Quod ad ultimum attinet, equidem facillime largior, ventriculum ſeſe poſt omiſſam ciborum aſſumtionem contrahere; quomodo vero contractio tanta fieri poſſit,

ſit, ut parietes ſeſe contingant, ſane non video. Nam

1) omnia corpora nonniſi ad certum quendam gradum ſeſe contrahere valent.
2) Ventriculus ſemper deprehenditur vel fluido, vel aëre, etiam in fame defunctis, aliqua ex parte repletus; ergo contentùm illud ſemper impediet, quo minus ad ſe invicem parietes eiusdem proxime accedere poſſint.

Illis vero, qui menſtruum ventriculi acrius redditum pro cauſa famis habent, ex duplici fundamento reſpondere licet:

a) Actio menſtrui ventriculi, quod acrius fieri per omiſſionem ciborum facile concedo, ibi eſt impoſſibilis, ubi adhaerere nequit. Cum itaque ventriculus interius obductus ſit muco viſcido, eoque ſpecifice leviori (per exper.), non poterit ſane liquor ille adhaerere parietibus ventriculi; ergo nec aget in ipſas, nec perceptionem hanc producere valebit.
b) Poſita hac cauſa, ratio dari nequit de multis phaenomenis circa famem obſervandis, praeſertim de eo, quod §. XII. n. 3. annotavi. Si enim fames a menſtruo ventriculi dependeret, tunc ingrata haec perceptio per intervalla ceſſare minime poſſet, ſed in una ſerie continuare deberet, usque dum cibi aſſumerentur, quod tamen repugnat experientiae.

Noſtrum itaque erit, phaenomena, §. XII. adducta, ex cauſa famis data §. XV. explicare, ut eo magis veritas

veritas eiusdem elucescat, sicuti etiam successum ipsum sequentia docebunt.

§. XIX.

Post insolita corporis exercitia in hominibus sanis famem ante consuetum tempus oriri debere (§. XII. n. 2.), exinde patet, dum per talia corporis exercitia secretiones & excretiones maiori in gradu augentur, quam naturaliter fieri solebant (per princ. Physiolog.). Inde ergo status corporis, qui post omissionem ciborum ultra decens tempus oritur (§. XVI.), citius inducitur, adeoque etiam ipsius effectus citius adesse debet, i.e. oritur fames ante consuetum assumtionis ciborum tempus.

§. XX.

Fame praesente si cibi non assumuntur, cum motus arteriarum & cordis non cesset, necesse est, ut glandulosa vascula ventriculi semper maiorem in gradum expandantur, quia copia fluidi adfluentis perpetuo augetur; ergo tam ob copiam auctam, quam ob elasticitatem horum vasculorum, atque hinc dependentem ex vitalitate contractionem, fluidum stagnans in ventriculi cavitatem propellitur. Promoto vero sic fluido, cessat expansio vasculorum & simul extensio partium cum his connexarum, adeoque famis perceptio. Cum vero vascula haec iterum sese coarctent & angustentur, ob rationes §. XIV. adductas, visciditas autem humorum, & hinc salium retentio, ulterius continuet, nova mox oritur stasis, nova expansio, adeoque nova famis

 causa.

causa. Ex quibus abunde ratio phaenomeni, §. XII. n. 3. & §. XVIII. not. b. adducti, patet.

§. XXI.

Cum impossibile sit, in physicis a priori determinare quantum alicuius phaenomeni, hinc nec ego indicare potero, cur perceptio haec accurate bis vel ter cessare ac redire soleat (§. XII. n. 3.); sufficit, nos rationem dedisse, quare absque assumtione ciborum haec perceptio cessare, ac iterum recurrere possit (§. XX.). Docet vero experientia, postquam fames per intervalla quaedam afflixerit, tandem perceptionem hanc sine remissione continuare, nec sine assumtione alimentorum tolli posse. Ratio erit facillima: per continuatam enim ciborum omissionem omnia ea, §. XIV. adducta, non possunt non maiori adesse in gradu; hinc quoque maioris obstructionis aderit fundamentum, quae tanta denique evadere potest, ut nec ab impetu cordis, nec ab elasticitate vasculorum superari possit. Manent ergo vascula glandulosa expansa, adeoque causa famis; hinc perceptio ut continuetur, necesse erit. Quomodo vero haec perceptio per assumta alimenta tolli queat, infra docebo.

§. XXII.

Homines vitae laboriosae addicti cum humidum magis dissipent, & maiori salium copia gaudeant, quod exinde innotescit, quoniam humores ipsorum ad resolutionem alimentorum duriorum aptissimi sunt, dispositionem habent ad humores

res

res acres ac ſpiſſos; ergo etiam in ipſis ex omiſſione ciborum humores evadent citius acriores & ſpisſiores, quam in otioſis ac vitae ſedentariae indulgentibus, in quibus humidum tanta in copia non diſſipatur, ſaliaque ſemper magis diluta exiſtunt; hinc etiam in illis citius, quam in his, fames, & quidem in gradu maiori, oriri debet. Huic inſuper accedit, quod homines laborioſi plerumque ſint robuſti, adeoque magnis vaſis praediti; quo maiora vero ſunt vaſa, eo maior eſt excretio humidi, & eo citius fames redit (§. XII. n. 4.).

§. XXIII.

De infantibus quidem affirmare non licet, quod vitam agant laborioſam; interim ſi ad actiones eorum, quibus per totum diem occupati deprehenduntur, attendere placet, videbimus, has, in reſpectu ad corpora eorum, longe ſuperare labores adultorum; hinc ex ſolis eorum actionibus ad crebriorem in infantibus perceptionem famis, quam in adultis, concludere poſſumus (§. XXII.). Cum vero corpora infantum inſuper pluribus ac minoribus gaudeant vaſis, quam corpora adultorum (per iniectiones artificioſas & per experient. anatom.), ſequitur hinc, ut, ob copiam vaſorum maiorem, maior etiam ſit ſecretio & excretio humidi in his, quam in adultis, adeoque maior cauſa viſciditatis ac acrimoniae (§. XIV.). Hinc citius in ipſorum vaſculis fluida ſtagnabunt, tam ob viſciditatem, quam ob vaſa minora, quibus gaudent prae adul-

 tis.

tis. Ergo etiam in illis fames citius & saepius, quam in his ut recurrat, necesse erit (§. XII. n. 5.).

§. XXIV.

Ex potu deficiente sequitur defectus particularum fluidarum subtiliorum; hinc humorum viscositas, sub qua simul salia minus sufficienter diluuntur. Ergo in iis, qui parum bibunt, maior erit acrimonia & dispositio ad humorum stagnationem, quam in illis, qui copiosa adsumunt potulenta, adeoque in illis fames citius redit, ipsosque maiori afficit gradu (§. XIV. n. 6.).

§. XXV.

Per copiosum potum non solum ventriculi fibrae debilitantur, sed etiam humores nostri, praesertim serum, fluidiores, saliaque in ipsis contenta magis diluta existunt. Ob fibras igitur ventriculi debilitatas, vascula eiusdem sese admodum coarctare nequeunt, aut si etiam sese contrahere possent, erga fluidum tamen vehendum, ob robur physicum imminutum, non magnam exserent resistentiam; hinc ob vasorum angustationem stasis nulla hic oritur, & quoniam simul humores fluidiores & salia magis diluta redduntur, manebit transitus per vascula haec glandulosa vel penitus liber, vel, si quoque stagnant, non tamen tanquam acres in ipsa agere poterunt. Hinc est, cur homines multum bibentes exiguam, aut saepius nullam sentiant famem (§. XIV. n. 6.).

§. XXVI.

§. XXVI.

Frigus,

1) particulas igneas in corpore noſtro imminuendo, inducit defectum particularum ſpecifice leviorum; hinc, humorum noſtrorum cohaeſionem augendo, viſciditatem ipſis conciliat.

2) Contractionem fibrarum, hinc perſpirationem imminutam, producendo, impedit, quo minus ſalia e corpore educantur. Hinc ipſorum accumulationem & humorum acrimoniam efficit. Cum igitur tempore aeſtivo, ob calorem maiorem, perſpiratio augeatur, ac humorum fluiditas conſervetur, facile perſpici poterit, cur fames tempore hyemali magis affligat, quam aeſtate (§. XII. n. 7.).

Negare tamen haud poſſum, aeſtivo tempore peculiarem adhuc adeſſe cauſam, cur fames minori percipiatur gradu, quam tempore hyemali. Ad cauſam famis enim requiruntur etiam ſalia (§. XIV. n. 5.); non vero ſalia cuiuscunque generis id praeſtare, ſed tantum acida, ſive ad acidam naturam accedentia, patet per §. CCCCXXXIX. Phyſiol. Illuſtr. HAMBERGERI. Cum itaque aeſtate, ob motum progreſſivum ac inteſtinum auctum, maior humorum noſtrorum reſolutio fiat, & acida citius ſemper reſolvantur, quam alcalica (per princ. Chym.), ſequitur, ut acida citius in maiori copia e corpore noſtro educantur, quam alcalica. Ergo humoribus noſtris ſtatus magis alcalicus inducitur; hinc etiam liquor in glandulis ventriculi ſecernendus magis

erit alcalicus. Abundantibus vero in corpore nostro alcalicis, deficiunt acida, deficit igitur causa famis (per §. citat.); ergo aestate necessario fames minori in gradu, ob hanc quoque causam, percipitur.

§. XXVII.

Qua ratione acida famem praesentem augere possint (§. XII. n. 8.), nobis adhuc investigandum erit. Acida vero nec ex pondere, nec ex adhaesione, hunc effectum producere valent. Si enim ex pondere id praestarent, sequeretur, omnia assumta idem praestare debere, quod tamen repugnat experientiae; si ex adhaesione in fibras ventriculi hunc effectum deducere volumus, probari antea debet, quod actio acidorum in fibras ventriculi ex adhaesione sit possibilis. Cum vero ventriculus naturaliter semper sit obductus muco quodam viscido (per experient. anatom.), sulphureo (per §. CCCCLXXVII. Physiolog. Illustr. HAMBERGERI), & hinc specifice leviori acidis, sequitur, acida mucum hunc non resolvere; hinc nec fibris ventriculi adhaerere, adeoque nec in parietes ipsius agere posse. Quamquam itaque in ventriculum delata parietibus ipsius adhaerere nequeant, contingere tamen poterunt fluida in vasculis ventriculi glandulosis haerentia: glandulae enim ventriculi semper repletae sunt, quia secretio in ipsis nunquam cessat, & praesertim tempore famis, (siquidem iam probavimus §. XV. tunc fluidum in ipsis stagnare debere,) eorumque oscula excretoria in cavitatem ventriculi hiant. Quodsi igitur acida assumta magis sunt saturata,

turata, quam fluida in glandulis haerentia, necesse est, ut salia ex fluido magis saturato abeant in minus saturatum. Augebitur itaque salium copia in fluido glandulas occupante; crescente vero causa (§. XIV.), ut crescat effectus, probatione non indiget. Vid. Physiol. Illustr. HAMBERGERI, §. DCCCLXVIII.

§. XXVIII.

Observationibus §. XII. adductis, ex causa famis, §. XV. data, hactenus demonstratis, explicatio phaenomenorum, durante fame oriundorum (§. XIII.), adiungenda erit. Omnis perceptio praesupponit actionem corporis in fibram nostri corporis nervis praeditam (§. VI.); cum vero quo maior est illa actio, eo maior etiam evadat perceptio, atque qualiscunque maior perceptionis gradus, antequam ruptura fiat, *dolor* appelletur (§. DCCCLVII. Physiolog. Illustr. HAMBERGERI), facile hinc perspicitur, quare ab expansione glandularum ventriculi nimia tandem dolor oriatur (§. XIII. n. 1.).

§. XXIX.

Contractiones intestinorum, & hinc dependentes borborygmi (§. XIII. n. 2.), tam per consensum, quam per fluidum, in glandulis eorum ex omissione ciborum stagnans, oriri possunt. Per consensum fiunt, quia membrana ventriculi continuata membranam dat intestinorum internam (per exper. anatom.); irritatâ itaque ventriculi membrana per fluidum stagnans, irritabitur etiam membranâ intestinorum; hinc sese constringit, & contractionem intesti-

inteſtinorum, nec non compreſſionem aëris in ipſis contenti, producit. Aër compreſſus elaſticitate ſua quosdam inteſtinorum tractus expandit; tractus hi expanſi, dum ex vitalitate ſeſe contrahere ſtudent, pellunt aërem ſubito ex maiori ſpatio per orificium anguſtatum; hinc ſonus, ſive murmura, quae *borborygmi* audiunt. Per ſtaſin vero fluidi in glandulis contractiones hae inteſtinorum & borborygmi producuntur, dum ob fluidum ſtagnans glandulae, adeoque partes cum his connexae, tenduntur; hinc irritatio membranae inteſtinalis, & irritationem hanc ſequentia (vid. anteced. huius §.).

§. XXX.

Coarctatio abdominis in minus ſpatium (§. XIII. n. 3.) non ſolum dependet ab eo, quod ventriculus tunc temporis cibis non ſit repletus, ſed ſimul oritur ab irritatione in ventriculo facta; hac enim partes vicinae per conſenſum irritantur, ergo ex vitalitate ad contractionem ſtimulantur. Sectio quidem cadaverum, fame defunctorum, obſervationi huic contrariari videtur, cum plerumque in eiusmodi ſubiectis ventriculus inflatus, ut & abdomen mirum ſaepius in modum extenſum deprehendatur; ſed quis non perſpicere poterit, hancce expanſionem pro cauſa ſua non famem, ſed putredinem iam incipientem, agnoſcere. Per famem enim tam diu continuatam non ſolum tota maſſa ſanguinea ad putredinem diſponitur, ſed praeſertim tunc liquor in cavum ventriculi excretus, quippe in circulo non amplius conſtitutus, atque in loco calido haerens,

non

non poteſt non in putredinem abire. Hinc, ob maiorem huius liquoris per putredinem reſolutionem, aër,in interſtitiis menſtrui contentus, liberatur, liberatus vero ſeſe expandit ; aër enim, in interſtitiis corporum haerens, ſemper eſt compreſſus (per §. CCCCXCVII. & ſequent. Element. Phyſic. Illuſtr. HAMBERGERI),ergo etiam ventriculum atque inteſtina ut extendat, neceſſe erit: ſunt enim corpora mollia & flexilia (per experient. anatom.).

§. XXXI.

Pallor faciei, frigus extremorum & proſtratio virium (§. XIII. n. 4.), in quibusdam mox famem incipientem, in nonnullis vero famem per longum tempus continuatam tantum ſequuntur. Primum fit in ſubiectis debilioribus; in his enim, ob copiam liquidi nervei minorem ſemper praeſentem, ac ex omiſſione ciborum ultra decens tempus magis magisque imminutam, facile vires proſternuntur, adeoque impetus cordis & arteriarum ita imminuitur, ut ſanguinem ad extrema usque decenti in quantitate propellere nequeant. A decenti vero ſanguinis affluxu cum tam calor partium noſtrarum, quam rubor faciei dependeat, utique hinc, deficiente cauſa effectum deficere, per ſe patet. Alterum contingere ſolet in robuſtioribus; hi enim, ob copiam liquidi nervei maiorem, non ſtatim defectum eiusdem tanto in gradu percipiunt, ſed tantum fame diu affligente; ob reſtitutionem particularum ſpirituoſarum non factam, proſtratio virium tandem in ipſis oritur, & tunc tam ob virium defectum, quam ob vaſa per ſecretiones & excretiones continuatas

angustata (§. XIV. n. 1.), sanguinis affluxus partibus extremis nostri corporis denegatur; hinc pallor faciei atque frigus extremorum.

§. XXXII.

Ex hactenus dictis apparet, famem esse symptoma, & quidem symptoma symptomatis, si illam secundum regulas pathologicas rigorose examinare placet. Est enim perceptio, & quidem ingrata (§. IV.); ergo actio laesa, adeoque symptoma, quod sine morbo esse nequit, qui erit vel unice morbus malae conformationis, & *obstructio* audit, vel morbus solutae unitatis, sive actu praesens, sive tantum in fieri; vel uterque simul, & quilibet horum morborum proxime tensionem, tanquam primum symptoma, haec vero perceptionem ingratam, tanquam secundum symptoma, producit. Cum vero actiones laesae, ex levi errore diaetae absque morbo manifesto ortae, solaque diaeta ordinaria adhibita sponte cessantes, a Medicis ad symptomata non referantur, hinc nec fames a me descripta *symptomatica* appellari poterit.

§. XXXIII.

Dari tamen *famem symptomaticam*, testantur scripta Medicorum, & numerantur duae species, quarum altera *fames canina*, altera *bulimus* audit, earumque differentiam LOMMIUS *Libr. II. Observat. med.* ita describit: *In hac ipsa*, scilicet *fame canina*, inquit, *desiderium plurium epularum est, multumque voratur: quod quia onere ventriculum gravat, iterum vomitu extunditur: atque sic levatus homo, vorare denuo nova cupiditate incipit, rursumque ut canis,*

quod

quod assumtum est, vomit. De *bulimo* ita loquitur: *Primum aegri multa fame urgentur, quae tamen non omnino immoratur. Quin animus subinde iis deficit, simulque concidit spiritus, extremaque refrigescunt.*

§. XXXIV.

Fames itaque symptomatica, quatenus est perceptio ingrata, in ventriculo, & forsitan etiam in intestinis, orta, aeque ac fames non symptomatica, pro causa sua agnoscet expansionem glandularum ventriculi & intestinorum, & actionem in fibras ex acrimonia maiorem. Symptomatum vero omnium (§. XXXIII.) hic rationem dare, omniaque ea afferre, quae & quomodo statum talem corpori nostro inducere valeant, cum limites Dissertationis excederent, aliorum disquisitioni relinquimus, paucisque tantum indicare studebimus, qua ratione fames non symptomatica ex sola diaeta ordinaria in hominibus sanis cessare soleat.

§. XXXV.

Quicquid itaque acrimoniam humorum, & stasin in glandulis ventriculi factam, tanquam causam famis (§. XV.), removere valet, id ipsum etiam famem ipsam, tanquam effectum, tollere poterit. Docet vero experientia, post factam ciborum in decenti quantitate assumtionem, famem cessare: ut itaque in mutationibus, ex assumtione ciborum in nobis ortis, famis sublatae ratio haereat, necesse est. Quales vero hae sint, & quo modo id prestent, ex sequentibus patebit.

§. XXXVI.

Mutationes ex assumtione ciborum fiunt

1) in ventriculo atque intestinis, & licet ex adhaesione, ob mucum, parietes ventriculi atque intestinorum obducentem, actio eorum sit impossibilis (§. XVIII.), tamen mutationes inducere valebunt:
   α) quatenus ea extendunt;
   β) quatenus fluida, in vasculis glandulosis stagnantia, contingunt (§. XXVII.).
2) In omnibus nostris humoribus, quatenus resoluti atque praeparati, per vasa lactea ac ductum thoracicum, in massam sanguineam deferuntur.

§. XXXVII.

Cibos, cuiuscunque sunt generis, in ventriculum & ex hoc in intestina delatos, ipsa quoque intestina expandere, tam ratio, quam experientia docet; expansio vero horum fieri nequit, nisi simul parietes eorum extendantur; hinc glandulae in his haerentes premuntur atque comprimuntur, & fluidum contentum exprimitur. Ergo extensio glandularum & irritatio earundem ex acrimonia, adeoque causa famis (§. XV.), vel plane tollitur, vel saltem imminuitur. Ob eandem quoque expansionem ventriculus & intestina ad maiorem ex vitalitate contractionem stimulantur, i. e. motus horum peristalticus fit maior; per hunc vero etiam hae glandulae premuntur; hinc nova imminutionis famis causa.

§. XXXVIII.

Cum ex physicis constet, aliud phaenomenon oriri, si corpora solida fluidum specifice levius, in corpore quodam haerens, contingunt, quam si fluida corpo-

corpora, homogenea cum fluido in corpore haerente, ſeſe contingunt, ſequitur hinc, etiam in ventriculo oriri debere aliud phaenomenon, ex contactu ciborum ſolidorum cum fluido in glandula ſtagnante, quam ex contactu ciborum fluidorum. Si itaque cibi ſolidi aſſumuntur, cum fluida ex corpore, in quo haerent, in ſolidum ſpecifice gravius contingens ex adhaeſione tranſeant (per §. CLVII. & CCXXXIV. Element. Phyſic. Illuſtr. HAMBERGERI), utique etiam liquor glandularum, ob adhaeſionem, in contingentes cibos ex his tranſibit; nam cibi noſtri omnes ſunt ſpecifice graviores his fluidis, quia cibi ab ipſis reſolvuntur (per princ. Phyſiol.). Hinc non poteſt non expanſio glandularum, adeoque cauſa famis, ceſſare, vel ad minimum imminui.

§. XXXIX.

Cum fluida homogenea inter ſe ex adhaeſione non miſceantur (§. CCVIII. Phyſic. citat. Auct.), ideo quoque fluidum, in corpore contentum, ex eo in fluidum homogeneum contingens nequaquam tranſibit. Ergo ſi cibi fluidi aſſumuntur, ad quos iuſcula refero, cum horum partes aqueae ſint homogeneae cum partibus aqueis liquoris in glandulis ſtagnantis, hae ex adhaeſione in cibos fluidos nunquam tranſibunt; ergo nec cibi fluidi expanſionem glandularum ex adhaeſione tollere poterunt. Cum vero cauſa famis non in ſola expanſione glandularum, ſed etiam in actione ex acrimonia aucta conſiſtat (§. XV.); hinc cibi fluidi, in ventriculo haerentes, ſi famem non tollunt, tamen imminuere poterunt, quatenus ſcilicet acrimoniam, in liquore ſtagnante, minorem red-

dere valent. Salia enim ex fluido magis ſaturato penetrant in minus ſaturatum (§. XXVII.).

§. XL.

Cibi non ſemper in ventriculo remanent, ſed concocti atque praeparati tandem ad inteſtina, & ex his per vaſa lactea ad maſſam ſanguineam deferuntur (per princ. Phyſiol.). Augendo itaque humorum quantitatem, vaſa antea coarctata magis ſeſe expandent, ſerum vero diluendo, & hinc acrimoniam imminuendo, humoribus aptitudinem ad tranſitum per glandulas liberiorem conciliabunt, nec non actionem ex acrimonia maiorem impedient. Sublatis vero iis omnibus, quae famem producere valent (§. XV.), ut ipſa fames plane ceſſare debeat, probatione haud eget.

§. XLI.

Si per conſenſum in inteſtinis fames percipitur (§. X. & XVI.), ceſſabit illa perceptio, ceſſante tenſione atque irritatione membranae ventriculi; hanc vero per cibos aſſumtos ceſſare, docent §§. antecedentes. Si vero eadem perceptio a fluido in glandulis inteſtinorum ſtagnante producitur, tollitur illa eodem plane modo, ut antea de ventriculo demonſtravimus, ea tamen cum differentia, quod tunc ſtaſis plerumque tardius removeatur, quia cibi ex ventriculo non ſtatim ad inteſtina deferuntur. Ex quibus ſimul ratio colligi poteſt, quare cibi fluidi citius famem tollant, quam ſolidi, quia citius ipſis ex ventriculo acceſſus ad inteſtina conceditur, citiusque cum maſſa ſanguinea miſcentur.

TANTVM.

Dignus aſcendis cathedram, relinquis
Hanc velut victor rediens ab hoſte
Plauſibus laetis; TIBI nec Triumphi
Praemia deſunt.
Ecce! nunc ſplendet TVA frons corona,
Quam ſuis nexit digitis Hygea,
Quae TIBI ornato ſua ſacra tecta
Sponte recludit.
Gratulor laeta TIBI mente honores;
Tvque, cum creſcat TVA fama, cura,
Ut ſimul noſtri maneat perenne
Foedus amoris.

Haec *Praenobiliſſimo Dn. Doctorando*, Amico ſuo optimo, in memoriam amicitiae intemeratae, gratulabundus ſcribere voluit, immo debuit,

A. TRVHART,
Gedanenſis, M. C.

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO DOCTORANDO
FAVTORI ET AMICO SVO AESTVMATISSIMO
S. D. P.
I. G. BARENDT, GEDANENSIS,
MED. CVLT.

Certe partium mearum plane immemor eſſem, ſi hodiernum diem ſilentio praeterirem. Cum enim hodie TIBI, *laboribus academicis feliciter abſolutis, ſummi honores in arte ſalutari, ut digniſſima virtutis atque eruditionis* TVAE *prae-*

praemia, offerantur, non possum non, quin hac occasione, mihi gratissima, animum meum deditissimum TIBI *declarem. Postulant hoc arcta amicitia atque familiaritas, quibus me iamiam ante aliquot annos in patria complexus es, & quibus quoque extra patriam per triennium dignum me iudicasti. Iam indefessam* TVAM *diligentiam in studio, iam humanitatem atque suavitatem* TVAM *erga amicos commemorare, easque decentibus laudibus efferre possem; sed officium amantis esse existimo, non onerare amicum laudibus, hinc etiam silendum de his puto, quoniam praeter hoc quoque laudibus meis non eges. Quales enim progressus in arte salutari feceris, specimine* TVO *inaugurali elaborato satis probasti; qualem* TE *vero in quibuscunque officiorum generibus erga amicos praebueris, & mihi, & multis aliis satis notum est. Accingam me igitur potius ad vota. Gratulor* TIBI *ex animo de summis in arte salutari honoribus, mox ex merito abs* TE *capessendis. Gratulor patriae de bono ac erudito cive. Gratulor* SPLENDIDISSIMAE TVAE FAMILIAE *de novo ornamento. Servet summum Numen* TE *salvum ac incolumem per longos adhuc annos, in emolumentum patriae, in levamen aegrotorum, & in oblectamentum* SPLENDIDISSIMAE TVAE FAMILIAE, *atque inposterum laboribus & conatibus* TVIS *adsit, iisque optatum eventum benignissime concedat. Quod ad me, hoc unicum saltem abs* TE *etiam atque etiam peto, ut me & inposterum amicitiae atque familiaritati* TVAE *commendatissimum habeas. Hoc si facies, habebis me gratissimum debitorem. Vale. Dab. Ienae, die XX. Decembr. MDCCLI.*

§. I.

Ea perceptio, quae in regione ventriculi, ex omiſſa ultra decens tempus ciborum aſſumtione, in hominibus ceteroquin ſanis, oritur, *fames* appellatur.

§. II.

Quilibet, qui unquam famem ſuſtinuit, optime hanc perceptionem ab omnibus aliis diſtinguere poterit, licet eandem verbis exprimere ipſi impoſſibile ſit. Habet fames id commune cum omnibus noſtris perceptionibus, quod claram tantum in nobis producat ideam, nunquam vero diſtinctam; cum vero ad definitionem alicuius rei nominalem formandam haud ſufficiant clarae ideae, ſed neceſſario diſtinctae requirantur (per princ. Logic.), nemo

mihi vitio vertere poterit, quod famem (§. I.) non definiverim, sed tantum descripserim.

§. III.

Percipere dicimus, quando obiectum aliquod in organa nostra ita agit, ut mutatio in mente inde oriatur.

§. IV.

Omnis mutatio in mente producta est vel grata, vel ingrata; hinc omnis perceptio erit vel grata, vel ingrata, & experientia docet, famem inter ingratas referri debere. Homines enim, qui prandium vel ultra consuetum tempus differunt, vel ex quacunque alia causa illum corpori inducunt statum, qui in homine sano tempore prandii esse solet, conqueruntur de perceptione ad dolorem accedente. Imo non raro accidere solet, ut illi, qui ciborum assumtionem per quaedam temporis intervalla ultra consuetudinem differre coguntur, dubii haereant, an id, quod percipiunt in regione abdominis, *famem*, an *dolorem ventris* nominare debeant.

§. V.

Perceptio cum consistat in mutatione, quae in mente oritur, quando obiectum in organa nostra agit (§. III.), sequitur, ut omnis perceptio praesupponat actionem corporis in corpus, i. e. ut corpus adsit, quod agat, & alterum, quod actionem sustineat. Nam organa nostra sunt corpora. Quicquid vero in corpus nostrum agit ita, ut percipiamus, id ipsum corpus esse debet; statum enim corporis, nervorum

vorum ſcilicet atque liquidi in iis contenti ſubtiliſſimi, mutare debet (per princip. phyſiolog.). Cum itaque fames perceptio ſit (§. I.), ut fames etiam pro ſubiecto ſuo habeat corpus, quod actionem alterius ſuſtinet, abunde fluit.

§. VI.

Ex Phyſiologia Illuſtr. HAMBERGERI, Praeceptoris venerandi, clariſſime apparet, nervos unicum eſſe ſenſationis inſtrumentum, nullamque corporis noſtri fibram perceptionem nobis producere poſſe, niſi quatenus nervis fuerit praedita, & hanc eo maiorem praeſtare, quo maiori nervorum gaudet copia. Fames itaque cum ſit perceptio (§. I.), haec vero praeſupponat actionem corporis in corpus (§. V.), & quidem in tale corpus, quod nervis praeditum eſt (per antecedentia huius §.), ut etiam ſubiectum, in quo fames percipitur, nervis ſuis gaudeat, probatione haud indiget.

§. VII.

Ex eo, quod fames ſemper in regione ventriculi percipitur (§. I.), utique ventriculus huius perceptionis ſubiectum eſſe videtur, & quamquam re vera illud ſit, ut ex ſequentibus patebit, attamen haud ſola haec perceptio, ad concluſionem hanc eruendam, ſufficiet. Mutationes enim, quae in corpore noſtro fiunt, & unico ſaltem ſenſu percipiuntur, raro, imo nunquam ita diſtinctae nobis evadunt, ut ſubiectnm, in quo mutatio illa fit, indicare poſſimus, licet locum, ſive regionem, accurate ab extra determina-

minare valeamus. Probant hoc a posteriori e. gr. homines calculo aut colica laborantes: hi enim quamquam accurate nobis regionem doloris indicent, saepius tamen a prudentissimis etiam Medicis subiectum huius doloris confunditur, nisi forsitan ex aliis rationibus, simul concurrentibus, ad verum subiectum concludere valeant. Cum itaque a loco perceptionis determinato ad subiectum eiusdem admodum difficulter concludi possit, hinc ut paulo accuratius subiectum famis investigemus, operae pretium omnino erit.

§. VIII.

Regionem huius perceptionis per experientiam accurate indicare possumus (§. I. & II.); sectionibus vero anatomicis edocti, scimus, non unice ventriculum, sed plura quoque alia corpora, scilicet fluida, integumenta communia, omentum atque intestina, regionem hancce occupare. Examinanda itaque erunt omnia haec corpora, quatenus ad perceptionem hanc in nobis producendam apta sunt, antequam huius perceptionis subiectum determinari poterit. Fluida vero corporis nostri, cuiuscunque generis sint, subiectum famis esse non posse, exinde patet, quia nervis non gaudent (§. VI.); integumenta vero communia, quamquam nervis sint praedita, cum eiusdem texturae sint, iisdemque partibus constent, ac reliqua corporis nostri integumenta, ut pro subiecto huius perceptionis habeantur, ratio impedit; nec omentum illud esse poterit, cum nihil aliud sit, quam fluidum inspissatum

atque